confractus grauiter corpus extremo uite tempore totam rem
atque ordinem sacerdoti nudauerat. Sacerdos uero periculosum
sibi ratus rem tam atrocem silere patefecit eam principi
bus ciuitatis. Ita coniuratione oppressa res ad irritum reci
dit et urbs cognito florentinorum equitum aduentu solertius
est custodita. Quamobrem paucis diebus ciuitelle commorati equites
irrito labore domum rediere. Domi quoque eodem anno res innoua
te ac uexillifer iustitie tunc primum creari ceptus. qua de re
altius ordientes pro cognitione rei pauca superius repetemus.
Nam cum due sint historie partes et que membra foris gestas
et domi non minoris sane putandum fuerit domesticos status
quam externa bella cognoscere. Florentie igitur admodum uetusta
atque ut ita dixerim primeua uidetur nobilitatem inter ple
bemque contentio. Fuit hec eadem credo aliis ciuitatibus. sed hic
nescio quomodo robustiores ingentioresque familiarum stirpes
tanquam fecundissimo in agro sate altius increuerunt. Et plebs
animis erecta potentioribusque infensa id unum habuit concor
die uinculum nobilitatis metum. Cum enim inferioris potentie
homines magnitudini illorum pares esse non possent ac sepe iniu
rie contumelieque imbecillioribus inferrentur unica prospecta est
resistendi uia. si populus una sentiret neminis iniuriam
pateretur/ priuatim inflictas contumelias publice uindicaret.
Studia rei publice capessende hinc nimirum sunt populo cohorta. hic
nobilitatis depressio. Ita demum enim populus se saluum esse
posse existimauit si ipse rem publicam gubernaret. ne nobilitas su
pra potentiam propriam rei publice quoque abuteretur potentia. uel ad
inferendas clades uel ad inflictas quominus ulcisceretur
prohibendum. Hoc certamen diu incerto exitu conflictauit
ciuitatem. Vtque est humanarum uicissitudo rerum hi modo aliquando

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_941/0176

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG